



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1783

VD18 90119304

§. 14. Legatus denuo ad Imperatoris alloquium admissus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

est, relinquat: Eapropter huic Epistolæ Sæc. XVIII.
 Legatus suum apposuit chirographum, A. C. 1721.
 & sequentes Missionarii hoc modo sub-
 scripsere: *Et nos demissa fronte unanimi-
 ter subscripti idem a Clementia Majestatis
 vestræ cum lacrimis supplicamus, Joseph
 Suarez, Joachimus Bouvet, Franciscus
 Cardoso, Joannes Murao, Josephus Pe-
 reira, Honoratus Ferrarius, Philippus
 Maria Cesatus, Benedictus Roveda, F.
 Raynaldus Maria a S. Joseph, F. Joannes
 Dominicus Fabrus, F. Wolfgangus a Na-
 tivitatem B. V. & Matthæus Ripa.*

§. XIV.

*Legatus denuo ad Imperatoris allo-
quium admissus.*

Paulopost Imperator libellum con-
 scribi jussit, in quo omnia ad Le-
 gatum hucusque dicta, cunctaque ejus
 edicta succincte continebantur: paulo-
 post Legatum cum suis Missionariis ad-
 esse jussit, eique per Eunuchum *Cinsu*
 exposuit, quod Imperator percepisset,
 eum ingenti afflictione pressum esse,
 quapropter miseratione commotus
 ipsum denuo ad sui alloquium admit-
 tere decrevisset: his dictis Imperator
 Pedrinio, militibus stipato propius ad
 thronum accedere, eorumque, quæ
 Legato expositurus esset, interpretem

D. 4 agere

Sæc. XVIII. agere præcepit, quo factò Legatum sereno vultu allocutus dixit, *Præteritis diebus Tibi remotis arbitris quædam insinuavi, quæ tamen nunc palam proferre volo, imò ea reddere publice, supervacaneum videtur: omnibus enim nota sunt dissidia & altercationes Europæorum in Sinis, prout clare apparet ex libello ad me delato, in quo Pedrinius Mandarinum Chao, & Jesuitas de multis machinationibus, dolisque contra ipsum comparatis postulabat: non ergo mirum est, sinistras de Sinensium ritibus relationes Romam fuisse perlatas. His expositis, pro more suo contra Maigroti inscitiam in lingua Sinica declamans, Legato declarabat, quod, si paratus esset, cum ipso disputaret, cui tamen Legatus respondit, se non ad disputandum, sed ad supplicandum fuisse missum, mox tamen reposuit Imperator, quod Pontificis Constitutionem cum Maigroti doctrina contulisset, eamque propter similitudinem non Pontificis, sed Maigroti esse suspicaretur: quamvis vero Legatus pluribus comprobatum redderet, quod Pontifex non Maigrotum, sed sanctæ, veræque Religionis nostræ conservationem, & puritatem respexerit, nihilominus Imperator multis parabolis ostendere nitebatur, Pontificem cæco venatori haud absimilem sclopetum suum, quem feriret nescius, explosisse.*

§. XV.